



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Anthologia Sacra

Ex Probatissimis Vtrivsqve Linguæ patribus collecta, atque Octastichis
versibus comprehensa

Billy, Jacques de

Parisiis, M.D.LXXV.

Contemptum Dei in causa esse, cur carni animus minimè imperet. 14.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50828](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50828)

S A C R A

in seipso floreret, iam in eorum
cordibus mundus aruerat. Ecce
iam mundus in seipso aruit: &
adhuc in cordibus nostris floret,
Vbique mors, vbique luctus, v-
bique desolatio, vndique percu-
timur, vndique amaritudinibus
replemur: & tamen cæca mente
carnalis concupiscētiae ipsas eius
amaritudines amamus. Fugientē
sequimur, labenti inhæremus. Et
quia labentem retinere non pos-
sumus, cum ipso labimur, quem
cadentem tenemus. Aliquando
nos mundus delectatione retra-
xit à deo. Nunc tantis plagis ple-
nus est, vt ipse nos iam mundus
mittat ad Deum.

Contemptum Dei in causa
esse, cur carni animus
minimè imperet.

Quid mirum est, menti quod sit caro serua rebellis,
 Nec iussis domina pareat illa sua?
 Mens meritas pendit pœnas in carne rebeli:
 Obsequium domina cum neget ipsa sua.
 Ut mentis caro iussa tua non pigra facessat,
 Fac tua mens seruet sedula iussa Dei.
 Ordinis hoc etenim ratio exigit, vt caro mentis
 Imperio subsit, mente sequente Deum.

SCHOLIA.

Homo, inquit Augustinus, ac- *Tract. in*
 cepit corpus tanquam in famu- *Psal. 145*
 latum: habens supra se condito-
 rem, infra se, quod sub illo condi-
 tum est. In medio quodam loco
 rationalis anima constituta, legē
 accepit, hærere superiori, regere
 inferiorem. Regere non potest
 inferiorem, nisi regatur à melio-
 re. Trahitur ab inferiore? deseruit
 ergo meliorem. Non potest rege-
 re quod regebat, quia regi noluit
 à quo regebatur. Et paulo supe-
 rius: Si hærebis superiori, calca-
 bis inferiora: si autem recedas à

S A C R A

Serm. I
 dñi fest.
 omn. Sã-
 Etor.

superiori, ista tibi in supplicium
 conuertentur. Atque ad eundem
 modum Bernardus in quodam
 sermone his verbis vtitur: Si pos-
 sidere vult anima, si regnare de-
 siderat super membra sua, necesse
 est vt sit ipsa mitis, & superior
 suo subiecta: quoniam tale inue-
 niet inferius suum, qualem se ex-
 hibuerit superiori. Armatur enim
 creatura ad vlciscendam suam
 iniuriam Creatoris. Et ideo non
 uerit anima, quæ rebellem sibi
 inuenit carnem suam, se quoque
 minus quàm oporteat superioribus
 potestatibus esse subiectam.

Nulla re fluxa animum sa-
 tiari posse.

15.

*G*audia qui mundi, qui magnos querit honores,
 Et sequitur falsas non bene sanus opes,
 Arripit hic umbram pro corpore, pascitur aura
 More lupi, esuriem stultus alitque suam.
 Namque adeo est generosa hominis natura, caduci